



**Petrvs Cnaphevs Sev Fvlo In Thoma VVegelino,
Lvtherano Theopaschita Redivivvs**

Gretser, Jacob

Ingolstadii, 1609

§. 20. Theodorus Balsamon VVegelino, Fulloni nouo χαίρειν κναφικως.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65394](#)

solùm, sed & Spiritus; & Spiritus sanctus non esset Spiritus solùm, sed & Filius. Propter hoc: Si quis apponit in Trisagio crucem præter Filium Dei, anathema sit. Si quis quaternitatem introducit in Trisagio, apponens post Trinitatem Christum crucifixum, anathema sit.

§. 19. *Synodus Quinsexta in Trullo, nouo Fulloni ANATHEMA.*

Quoniam in nonnullis locis didicimus in sanctissimo hymno additamenti loco dici post illud, sanctus immortalis, hoc, Qui crucifixus est pro nobis, miserere nostri: id autem ab antiquis sanctis Patribus, ut à pietate alienum, ex hoc hymno electum, cum scelerato hæretico, qui hanc vocem innouauit, nos quoq; confirmantes ea, quæ à sanctis nostris Patribus prius piè cōstituta sunt, anathematizamus eos, qui post præsens decretum eiusmodi vocem admittunt, vel aliquo alio modo sanctissimo hymno adiungunt. Et si est quidē sacerdotalis ordinis qui transgressus est, cum sacerdotali dignitate priuari iubemus: sin autem laicus, vel monachus, segregari.

§. 20. *Theodorus Balsamon VVegelino, Fulloni nouo χαράκην καὶ φιλῶς.*

Balsam. in
dict. Can.
Trullano.

Stolidus ille & maledicus Petrus (Thomas) Fullo in sanctissimo Hymno fecit additamentum, dicens, postquam dictum esset: sanctus immortalis: debere dici: Qui crucifixus es pro nobis; miserere nostri. Quod quidem additamentum Ecclesia non addidit, ut quod quartam personam inducat, & Dei filium, Seruatoris scilicet cōsistenter facultatem, seorsum ponat, & Christum crucifixum tanquam alium esse à forti, & affectionibus esse subiectam Trinitatem opinetur, & Patrem vñà cum

F 3 filio

Filio crucifigat & Spiritum sanctum. Et decreuit quidē sanctissimū hymnum piè dici de sancta Trinitate, quod per trinam sanctitatem tres supersubstantialis deitatis consistētes personas sancta nobis Seraphim ostendant. Per vnam verò dominationem, vnam diuinæ Trinitatis substantiam, regnumque significant. In Ecclesiastica autem historia inuentum est, quod cùm populus Constantinopoli supplicaret propter quasdam diuinitus intentatas minas, quæ tempore Procli Archiepiscopi fuere, ex populo raptum fuisse puerum, & sic ter sanctū hymnum ab angelica aliqua doctrina fuisse institutum, sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis, misere-re nostri. Et conuerso rursus puerō, cùm quod institutū esset, renunciasset, vniuersam multitudinem hymnum cecinisse, & sic minas cessasse. Porrò autem & in sancta, & vniuersali Chalcedonensi synodo, sic sanctissimum hymnum canendum esse traditum est: sed, cum ne sic quidem multorum, eorumque blasphemorum improbitas ad orthodoxum decretū traducta esset, ut est ve-risimile, qui in hac synodo conuenerant sancti Patres, iis, quæ à sanctis Patribus, qui Chalcedone conuenerāt, de hoc sanctissimo hymno cōstituta erant, confirmatis anathematicos subiecerunt, qui post præsentem cano-nem Fullonis additamentum ter sancto hymno adiungant. Et est quidem sacerdotalis, inquit, Ordinis, qui transgreditur, deponatur: si autem laicus, vel monachus, segregetur.

§. 21. *Apostrophe ad nouum & Prædicanti-
cum Fullonem VVegelinum.*

Iam priden̄ audio te vociferantem. O heiam satis est. Enecant me isti sermonibus suis. Morere igitur, quia satius est tales Fullones sub terra, quam supra terram esse. An audisti,
quid